



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Sectio secunda. Vtrum conuenienti tempore facta sit Incarnatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

ætates supra numeratas. An vero fuerint illi impleti, vel nondum perfecti, non credo posse usque ad numerum omnino certum designari: sed solum, ut dixi, parum ab illo numero distare. Illud vero quod supra diximus, quoniam ad plures quæstiones inferius disputandas necessarium erit, pro certo statuendum est, scilicet, iuxta computationem Græcorum incarnationem factam esse Olympiade centesima nonagesima quarta anno secundo. Iuxta computationem vero Romanorum factam esse anno quadagesimo primo imperij Augusti, ut conveniunt Eusebius in Chronico. & lib. 1. histo. c. 5. Epiphanius in Ancorato & in libro de ponderibus & mensuris aliquantulum a principio, & hæref. 51. & 78. & Beda libro de sex ætatibus: qui omnes docent natum fuisse Christum anno quadagesimo secundo inchoato imperij Aug. Quod expressius ponit Clemens Alex. lib. 1. Stromat. a quibus non desistit Irenæus lib. 3. c. 25. & Tertul. lib. contra Iudæ. ca. 8. dicentes, natum fuisse Christum anno quadagesimo primo imperij Augusti: intelligendi enim sunt, id est, post illum completum. Vnde sic ex omnium sententia, incarnationem, que novem mensibus natiuitatem antecessit, anno quadagesimo primo imperij Augusti perfectam fuisse.

Dubitatio. Sed quæret tandem aliquis, quo anni mense facta sit incarnatio, non enim defuit quidam Mattheus Beroaldus, qui lib. 4. suæ Chronog. c. 2. dicere ausus fuerit, Christum natum esse mense Septembri, in æquinoctio autumnali, unde sit incarnationem factam esse in medio mensis Decembris. Sed est temeraria sententia contra vniuersalem Ecclesiæ Latinæ traditionem & consuetudinem, quæ habet, Christum fuisse natum die vigesima quinta Decembris: & incarnationem fuisse factam die vigesima quinta Martij. Hoc satis patet ex sensu & vsu Ecclesiæ, quem fuisse antiquissimum constat ex Aug. lib. 4. de Trinita. c. 5. & ferm. 18. de natu. & ex Clem. Alexand. lib. 1. Stromat. & Nicepho. lib. 1. histo. c. 12. Chrysost. hom. 1. in Luc. & homilia sequenti, quæ est de Natali Domini, qui aduertit conceptionem & natiuitatem Christi Domini cum conceptione & natiuitate Ioannis Baptistæ ita fuisse per omnia quatuor annitēpora distributas, ut singulis primis mensibus vniuersi usque temporis anni, alterutra cadat cōceptio vel natiuitas: videlicet primis mensibus veris & hyemis incarnatio & natiuitas Christi, primis autem mensibus autumnii & æstatis conceptio & natiuitas Ioannis Baptistæ.

SECTIO II.

Utrum conuenient tempore facta sit incarnatio.

August. Porphy. Quæstio hæc ex eo capite nonnullam difficultatem habet, quod tantum Dei beneficium nō videbatur tot annis & seculis differendum, quam difficultatem obiecit Augustino quidam Porphyrius paganus in epist. 49. de sex quæstionibus contra paganos quæ. 2. eandemque quotidie interrogant Gentiles, cum primum illis Euangelium prædicatur. Nam si Deus (inquiunt) propter salutem & amorem hominum, homo factus est, cur non antea venit, ne tantam hominum multitudo periret? & eandem attingens Chrysost. hom. 27. super ad Rom. circa illud c. 14. Iuxta reuelationem mysterij temporibus æterni taciti, inquit, Si quæseris quæ ratione nunc tandem apparuit, periculosam rem facies, mysteria Dei curiose examinans. & rationem illorum exigens, neque enim talia curiose inquirenda, sed diligenda sunt, & amplectenda. obedientiam enim fides exigit, non curiositatem. Et ad simile propositum dixit Irenæus lib. 4. contra hæref. caput. 67. Nontu Deum facis, sed DEVS te. Si ergo opera Deies, manum artificis tui expecta opportune etiam facientem. Sed hæc dicunt patres ad eos qui animo curioso, & ad impugnandam fidem hæc interrogant. Nobis vero necessarium est, aliquam rationem reddere eius,

quæ in nobis est, fidei. Cum enim omnia quæ a Deo sunt, ordinate, & conuenienter fiant, non deerit aliqua sufficiens ratio ad hanc fidem explicandam.

Dico ergo primo non oportuisse, hoc mysterium statim in initio mundi fieri, sed conuenienter tot seculis & temporibus dilatum esse. Aduertendum est non dici ita conueniens, quin si Deus aliud facere voluisset, & mysteriū hoc multo ante perficere, potuisset etiam illud esse conueniens iuxta rationes & fines, quos Deus veller intendere: sed dicitur esse conueniens in primis, quia simpliciter potuit bene & honeste ita fieri absque vlla indecentia, & deinde quia considerata magnitudine mysterij, & causis, & rationibus propter quas a Deo fiebat, expediens fuit tanto tempore differri, & hoc sensu est omnino certa hæc veritas, quæ sufficienter auctoritate Dei id facientis comprobata est: omnia nō sapientissime prouidet, & in numero, pondere, & mensura disponit.

Ratione præterea declaratur, nam primo si loquamur de initio hominis in statu innocentie, ante peccatum, non fuit conueniens tunc fieri hoc mysteriū, præter rationē D. Tho. supra, quia oportuit tantum mysterium prius fide teneri ab Angelis & hominibus, & Christum ita creditum ab eis adorari & sperari, ut autorem suæ salutis. Secundo, si loquamur post peccatum commissum, similiter fuit conueniens ex parte ipsius mysterij, propter fidem & venerationem eius, ut prius multis temporibus esset prædictū & præfiguratum, ut facilius crederetur, & post longam expectationem maiori affectu & veneratione susciperetur. Sic Augustin. tractat. 31. in Ioan. inquit Multi dicunt, quare non antea venit Christus? Quibus respondendum est, quia nondum venerat plenitudo temporis, moderante illo per quem facta sunt tempora. Sciebas enim quando venire deberet. Primo per multam seriem temporū, & annorum prædicendus fuit, non enim aliqui paruum venturum fuit, diu fuerat prædicendus semper tenendus: quanto maior index veniebat, tanto præconū longior series præcedebat.

Secundo ex eodem August. lib. 83. qq. q. 43. quia oportuit vniuersum paulatim perficere, & in singulis ætatibus habere decorem suum: sicut homo in ipsa corporis ætate paulatim progreditur ab infantia usque ad senectutem: Et quicunque, inquit Augustinus, ad certam sapientiam peruenerunt, non nisi ab eadem veritate suarum sigillatim ætatum opportunitate illustrati sunt. A qua veritate ut populus sapiens fieret ipius generis humani oportuna ætate homo susceptus est.

Vnde sumitur tertia ratio ex parte ipsorum hominum: quos oportuit prius disponi ad tantum mysterium suscipiendum. Duobus autem modis tanta successione temporum dispositi sunt: primo directe prius per naturalem legem, & generalem promissionem & spem mediatoris: postea per legem scriptam, & expressiores prophetias, & plures ceremonias & sacrificia: quæ omnia Christum promittebant, & præfigurabant. Secundo, quasi indirecte permittendo, ut Paulus ait ad Rom. 11. & ad Gala. 3. omnes fere homines sub peccato & incredulitate concludi, ut suam fragilitatem agnoscerent, & humiliores fierent ad tantam Dei gratiam agnoscendam, & suscipiendam. Vnde etiam factum est, ut dilato beneficio & necessitate crescente, desideria Saluatoris crescerent. Quæ omnia Diuus Thomas hic attigit, & latius Irenæus lib. 4. contra hæref. cap. 75. Theod. Dor. lib. 6. de curationibus Græcorum ad finem. Chrysost. homil. 4. ad Coloss. colum. 4. & homil. 9. ad populum, ubi inter alia ait, Non si aliquid vtile est, ideo statim dari debet, nam etiam solidus cibis vilis est, non tamen datur in principio. Et Eusebius lib. 1. histor. cap. 2. & Nicephorus lib. 1. caput. 3. & optime Leo Papa sermon. 3. de Natiuita caput. 4. Gregor. Nyss. oratio. de natali Domini. Et Bernardus ser. 1. de aduentu. Ambr. & expositores circa illa verba ad Gal. 3. Lex paedagogus noster fuit in Christo. Et circa illa ca. 4. Gal. 3. & 4.

Cum

Theophyl.
Heb. 9.
simil.

Cum essemus paruuli, sub elementis huius mundi eramus seruientes. Et Theophylact. super ad Heb. 9. exponens illa verba: Nunc autem semel in consummatione seculorum ad probationem peccati per victimam, sui ipsius manifestatus est. Vbi ex Greg. Nyss. hæc verba refert: Quomodo infirmi medici intus adhuc febri corpus subpurgante, cum per morbum facientes causas adhuc accenditur, nullum adhibent egroti ex cibo auxilium, expectantes tantisper, dum malum hoc ad summum increuerit, sic & nobiscum actum est. Expectauit animarum medicus, donec vniuersa malitia agritudo panderetur, &c.

Quarto addi potest, explicando magis superior rationem, quia si Christus Dominus in principio mundi venisset, pauci tunc essent homines qui eius præsentia fruerentur, & doctrinam ab eius ore susceperent, & abundantiam gratiæ in eius aduentu communicatam, vnde exigui etiam essent numerus hominum, quibus Christi Euangelium, vel ab ipso, vel à discipulis prædicari posset. Ex quo rursus fieret, vt paulatim procedentibus temporibus, fidei & charitatis feruor languerent. Hæc est enim hominum conditio, vt non multum in officio virtutis feruenter perseverent, sicut & ante Christi aduentum in ipsa Dei cognitione, & honestate morum visum est; post eius prædicationem in Ecclesiæ discursu, quæ ab illo primo charitatis feruore statim declinare cepit. Si ergo Christus in principio mundi venisset, ille primus feruor doctrinæ & gratiæ eius, breui tempore, & in paucis hominibus durasset: postea vero quando genus humanum plenius propagatum esset, & maior hominum multitudo tanto remedio indigeret, iam fides huius mysterij plurimum obscurata esset: vnde fieret, vt pauciores illius gratiæ & beneficiis fruerentur. Quam rationem significasse videtur Theodoret. supra, cum dixit: Si in principio mortem subisset, quando peccatum non perinde effugium fuisset, nemo deinde credidisset. Et ex hac ratione soluitur obiectio supra tacta, scilicet, quod si antea venisset Christus, plures salui fierent. Quoniam enim non sit contemnenda responsio Augustini, ex prædestinatione Dei desumpta, scilicet, tunc venisset, quando agnouit electis suis magis profuturum eius aduentum, vt circa litteram D. Thomæ adnotauimus, & sumi potest ex eodem libro de bono perseverantiz capite nono, & libro de prædestinatione Sanctorum c. 9. Responderi tamen potest etiam ex dictis, considerata hominum conditio, & ordinario modo diuinæ providentiæ, plures homines fuisse saluandos per mysterium incarnationis factum post multa tempora, quando iam mundus erat quasi perfectæ ætatis, quam si in principio fieret.

Conclusio 2. Dico secundo, Conueniens fuit, mysterium hoc non differri vsque ad finem mundi, sed multo etiam ante illum fieri. Hæc conclusio adeo est per se clara, vt nullus de illa vnquam dubitauerit, eamque à fortiori probant obiectioes & rationes dubitandi in principio positæ. Probant etiam rationes factæ pro superiori conclusione, si bene accommodentur. Sicut enim pertinet ad dignitatem mysterij, vt aliquā diu expectaretur, & prædiceretur, ita maxime pertinet, ne tanta esset dilatio, vt iam & mores essent omnino corrupti, & fides eius prorsus amissa, & spes quasi desperata, quod certe timendum fuisset, si amplius dilatum esset. Quod facile crederet quicumque corruptionem morum, tam in lege naturæ quam in lege scripta factam, cum ad fines suos deuenirent, considerauerit. Ac denique si statim post incarnationem mundi duratio finiretur, quibus profuisset tantum mysterium, aut pro quibus sacramenta fuissent instituta, itaque in hoc nulla relinqueretur dubitandi ratio.

Sed obicitur, quia in Scriptura sacra dicitur venturus Messias in nouissimis diebus, vt patet Genes. 49. Iai. 2. & Mich. 4. & Daniel. 2. hoc autem vide-

tur significare, id est, in ultimis temporibus, seu in fine mundi. Responderetur breuiter, totum hoc tempus noui Testamenti vocari tempus nouissimum, vt patet prima Canonica Ioan. cap. 2. *Elioli iam nouissima hora est.* Et 1. Corint. 10. vocatur finis seculorum. Potest autem sic appellari, vel quia in hoc tempore data est lex gratiæ, quæ fuit vltima, post quam alia non speratur: vel quia in hoc tempore complentur omnes prophetiæ, & prædictiones Dei: qua fortasse ratione dicitur ad Galat. 4. *Plenitudo temporum.* Vel quia distinguendo durationem mundi per ætates, vt supra fecimus, hæc est vltima: quæ licet diuturnior sit, tamen vna semper censetur, quia non fit in ea notabilis aliqua mutatio, per quam solent distinguui huiusmodi ætates, sed durat semper & duratura est eadem Ecclesia, idem modus regiminis in ea, & eadem gratiæ communicatio. Ad quem modum exponitur à Patribus parabola illa de vltimo loco vocatis, Matth. 20. Sic etiam Orig. hom. 8. in Iosue vocat hoc tempus mundi vespere. Et Ecclesia in quodam hymno canit: *Vergente mundi vespere*: & in alio dicit: *Deus creator omnium, homo in fine temporum*, & ad hunc modum loquuntur frequenter Patres, & videre est in Athanas. epist. ad Antioch. tom. 1. & in Cyrill. Alexand. in epist. ad Orientales, quæ legitur & probatur in Concil. Chalcedo. actione 1. circa actionem septimam Concilij Constantinopolitani, & eius verba vsurpat Iustinianus Imperator in edicto ad Ioan. nem secundum. Denique August. 1. Genes. contra Manich. cap. 23 hoc tempus vocat mundi senectutem, quia duratione est vltimum, quanquam lib. 83. questionum q. 44. iuuentutem mundi illud appelleret, propter vigorem gratiæ, vt ipse se exposuit 1. lib. retractat. cap. 26. Addi vltimo potest, locutionem illam Prophetarum: *Et erit in nouissimis diebus*, sæpe tantumdem valere, ac si dicerent, erit post hæc tempora. Et potissimum ita loquuntur, quando prædicunt aliquid futurum in tempore valde distanti: quod potest dici vltimum respectu præcedentis, licet simpliciter non sit absolute vltimum, vt Act. 2. referens Petrus locum Ioelis 2. inquit: *Et erit in nouissimis diebus*, Joel. 2. *effundam de spiritu meo.* Et tamē in Propheta habetur: *Et erit post hæc, effundam, &c.*

Dico tertio, Mysterium incarnationis conuenienti tempore factum est. Hæc sufficienter probata est ex dictis: & confirmari ab aliquibus solet, quia conueniens fuit Christum venire in medio durationis mundi, vt quoad fieri posset minus ab omnibus distaret, vt omnibus commodius subueniret. Vnde Abac. 3. dicitur: *In medio annorum notum facies, & Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud.* Sed non propterea credendum est, tantum duraturum mundum, post Christi aduentum, quantum antea durauit. Hoc enim prorsus incertum est, & tam incognitum, quam est ignoratus dies iudicii. Et locus ille Abac. magis per accommodationem, quam iuxta sensum, & veram expositionem ad hoc citatur. Quo ad hoc ergo solum est probabilis hæc coniectura, quod fuit conueniens Christum venire eo tempore, quo minus distaret ab extremis, quoad commodum fieri posset, suppositis aliis circumstantiis, vel conditionibus necessariis. Vltimo tandem confirmatur, quia Christus venit eo tempore, quo magis mundus indigebat eius aduentu. Iam enim non tantum lex naturæ, sed etiam lex scripta pene extincta, & abolita erat. Qua ratione vtuntur sæpe Patres supra citati, & indicatur à Christo Matth. 21. in parabola de patrefamilias, qui plantauit vineam, & sæpe misit seruos, & tandem filium, vt ibi Chrysostom. homil. 69. Anselmus, & alij expostores notarunt, & late exponit Irenæus libro 4. capite 70.

Mich. 4.
Dan. 2.
Respon.
1 Ioan. 2.
1 Corin. 2.

Galat. 4.

Matth. 20.
Orig.Athanas.
Cyrill. Alex.
Conc. Chalced.
Iustinian.
Augustin.Act. 2.
Joel. 2.

Concilio 3.

Abac. 3.

Matth. 21.
Chrysost.
Anselm.
Irenæus.